



Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

59. De profectione S. Willibrordi versus Roma[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

dem omnium vnanimitate victus, & quod maius est, Dei dispensatione coactus, consensit, magis volens plurimorum humiliter obedire consilio, quam suam pertinaciter defendere voluntatem. Quę itineri incundo confiundoque necessaria forent, exinde procurantur.

DISSERTATIO LIX

De profectione S. Willibrordi versus
Romam.



Mnibus ad profactionem paratis, circa Octobrem anni 696. viæ se committit, acceptis prius à Pipino commendatitijs ad Sergium Vrbis Romæ Præfulem eius nominis primum; & credibile commendatitijs etiam ad viros potentiores in via, tam Ecclesiasticos, quam Laicos, illi ope & consilio ut assisterent, si opus. Utinam cuncta domans vetustas non exesset eas, præberent stylo nostro materiam non exiguum. Addit Alcuinus: & sic cum honorifica legatione & muneribus authoritati Apostolica condignis Romanum directus est. Regij honoris olim erat muneribus conueniri. Regina Saba munera ad Salomonem attulit. Iacob filios ad Pharaonem Ægypti Regem destinans, deferrit iussit viro munera. Reges Parthes non posse quemquam salutare sine muneribus, scribit Seneca Epist. 17. Tres Magi ad Regem summum vocati, tanto digna Regi munera attulerunt. De Franciā legitur, Theodericum Regem consuesse se uno anni die ostendere populo, à quo salutatus & muneribus decoratus, cum & ipse reciproca dona

B b 2

204 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
dona populo exhibuisset domum abire, &c. Vide etiam
Cælium, lib. 12. cap. 16. Tantumdem Pontifici Christi
Vicario, Regibus æquiparando, imo Regum Patri de-
ferri voluit Pipinus. Superatis niuosarum Alpium aspe-
ritatibus, Romana mœnia secundò intrat Apostolicus He-
ros, priùs de eius instanti aduentu Sergio cælitùs certio-
re facto. Die quarta (ait Alcuinus) priusquam illo veniret
(Willibrordus) Beatissimus Apostolicus (Sergius) Angelico
in somnis response admonitus est ut illum cum summo ho-
nore susciperet, & quod multarum animarum esset illuminator
futurus, à Deoque electus, & ad hoc venisset ut summi abeo
Sacerdotij honorem susciperet, nihilq; è negandum esse quidquid
petiisset.

Vt hæc fusiūs explicitentur, quandoquidem ad acta San-
cti Willibrordi pertineant, sit,

DISSERTATIO LX.

De cælica admonitione Sergio in somnis facta,
& Angelico ministerio.

Pro horum intelligentia obseruandum i. Somnia
esse triplicis generis: Naturalia, Diabolica, Diui-
na. Naturalia, quæ oriuntur ex causa naturali in-
trinseca vel extrinseca. Diabolica, quæ mali
spiritus insidiosè dormientibus immittunt vel ad
turbationes animi creandas, ut libidinem, iram, odium, de-
sperationem: vel ad occulorum aut futurorum significa-
tionem. Diuina sunt, quæ à Deo nobis suggeruntur, siue
immediatè, siue mediatè per Angelos bonos. Sergij diui-
num fuisse idque mediante Angelo, verba textus & even-
tus docent.

Dices i, quomodo Sergius cognovit esse diuinum?
quomodo